

ait: 'Et tu si non similia feceris, statim¹ Deo subitanea ultione praesentandus² eris'. Rursumque in oratione decumbens, animam suam cum fiducia Christo domino comendavit. Et³ surgens, cervicem tetendit, gladiatorem commonuit, ut, quod sibi iussum fuerat, adimpleret³. Cumque ille, quem supra diximus, huius caput subito amputasset, beati martyris Leodgarii spiritum angelorum choros⁴ Domino praesentandum gaudens perduxit ad celos, cum omnibus sanctis regnaturum, ubi dominus noster Iesus Christus in leticia est sanctorum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

ITEM DE MIRABILIBUS SANCTI LEODGarii.

Glorificato igitur Dei martire Leudgario per cruorem effusum, mox, ut praedixerat, ultio divina gladiatorem percudit⁵ suum. Nam publice spiritalibus flammis adustus, quarto die de corpore mugiens est avulsus. Igitur cum reliquias sancti martiris, eo quod iuxta sevi tyranni iussa⁶ non invenerunt puteum, in silvarum condensa studuissent abscondere, quatenus hominibus incognitum permaneret⁷, perfecta mulier eum est egressa perquirere, ut, sicut devoverat, ipsum deberet⁸ venerabiliter tumulare. Quo reperto studiose transtulit in oratorium, fidenter exhibens famulatum martiri⁹, quia vere eum viderat pro Christi nomine devote desiderasse martirium. Ex tunc enim ceperunt habere initium¹⁰ hac micare¹¹ hominibus eius signa virtutum. Quae dum¹² Ebroinus¹³ cum suis consentaneis voluit¹⁴ audita obturare¹⁵ et visa occultare, ne cuiquam debeat innotesci, sed cum ob huiusmodi . . .¹⁶ de hac credulitate erraret¹⁷ multorum, tunc ut sol in altum conscendens, splendescere atque incalescere ceperunt ad gloriae supplementum. Nam ad loco, ubi prius iacuit sanctum corpus occultum, primum cecus recepit visum et debilis¹⁸ gressum, ibique praedictae mulieres studium oratorium est hedicatum et monachorum offitium iuge psallentium institutum, ubi fidelibus incessanter coruscant prodigia sanitatum. Sanantur lanquidi¹⁹, curantur obpressi, refrigerantur febrizitantes, publice evomuntur spiritus inmundi²⁰, et quaeque²¹ innumera sunt mala, qua corpora²² vexantur humana. Quicumque eadem²³ aderent²⁴ loca, sancti martiris intervento omnium merentur

1) 'a' add., sed eras. A. 2) 'praesentatus' A. 3) 'et — adimpleret' sunt etiam in C. 4) i. e. 'chorus'. 5) 'pertulit' A. 6) 'iusta' eras. A. 7) 'permanere' A. 8) 'debere' A. 9) 'martirii' A. 10) 'iniquum' A. 11) 'migrare' A. 12) 'quaedam' A. 13) 'Ebrinus' A. 14) 'nolent' A. 15) ita scripsi dubitans; 'Iob' A. 16) deest vocabulum A. 17) 'errare' A. 18) 'debilibus' A. 19) 'lanquidus' pr. m. A. 20) 'inmundis' pr. m. A. 21) 'quicque' A. 22) add. 've', sed eras. A. 23) 'eandem' (?) pr. m. A. 24) scribas 'adierint'.